

## LVI. Seneca Lūciliō suō salūtem (ep. 56,1-2)

<i>seponere:</i> segregare, a negotiis publicis discedere	[1] Peream sī est tam necessārium quam vidētur	1
	silentium in studia <u>sēpositō</u> . Ecce undique mē varius	2
<i>balneum:</i> thermae	clāmor circumsonat: suprā ipsum <u>balneum</u> habitō.	3
	Prōpōne nunc tibi omnia genera vōcum, quae in odium	4
	possunt aurēs addūcere: cum fortiōrēs exercentur et	5
<i>plumbum:</i> metallum magni ponderis	manūs <u>plumbō</u> gravēs iactant, cum aut labōrant aut	6
	labōrantem imitantur, gemitūs audiō, quotiēns retentum	7
	spīritum remīsērunt, sībilōs et acerbissimās	8
<i>iners:</i> sine arte, imperitus	respirātiōnēs; cum in aliquem <u>inertem</u> et hāc plēbēiā	9
<i>illidere:</i> pulsare, impellere	ūnctiōne contentum incidī, audiō crepitum <u>illīsaē</u> manūs	10
	umerīs, quae prout plāna pervenit aut concava ita sonum	11
<i>pilicrepus:</i> qui pilā ludit	mūtāt. Sī vērō <u>pilicrepus</u> supervenit et numerāre coepit	12
<i>scordalus:</i> qui saepe rixatur, litigat	pilās, actum est. [2] Adice nunc <u>scordalum</u> et fūrem	13
	dēprēnsū et illum, cui vōx sua in balineō placet, adice	14
	nunc eōs, quī in piscīnam cum ingentī impūlsae aquae	15
	sonō saliunt.	16

*alipilus*: qui pilos  
avellit

Praeter istōs, quōrum sī nihil aliud rēctae vōces sunt, 17

*ala*: pars concava  
sub brachio sita

alipilum cogita tenuem et strīdulam vōcem, quō sit 18

notābilior, subinde exprimentem nec umquam tacentem, 19

*biberarius*: qui  
vendit potiones

nisī dum vellit ālās et alium prō sē clāmāre cōgit; iam 20

*botularius*: qui  
vendit botulos  
(intestinalis carne  
farta)

biberārī variās exclāmātiōnēs et botulārium et 21

crūstulārium et omnēs popīnārum īstitorēs mercem suā 22

*crustularius*: qui  
vendit crustula  
(parvas placentas)

quādam et īsignitā modulātiōne vendentīs. 23